Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

diceret. usque ad id quod scriptum est. Et cum intinxisset panem dedit iude symonis scariothis. Et post panem introiuit in illum satanas.

Hoc evangelii capitulum fratres ita a nobis exponendum in hac lectione propositum est. ut iam de traditore domini per panem tinctum eique porrectum satis euidenter expresso aliquid dicere debeamus. Et de illo quidem quod eum iam demonstraturus ihesus turbatus est spiritu preterito sermone disserui. Sed fortasse quod ibi non dixi. et hoc nobis dominus significare sua turbatione dignatus est. quod scilicet falsi fratres et dominici agri illa zizania ita necesse est usque ad messis tempus inter frumenta tolerari. ut cum ex eis aliqua separari et ante messem urgens causa compellit fieri sine ecclesie perturbatione non possit. Hanc perturbationem sanctorum suorum per scismaticos et hereticos futuram quodammodo prenuntians dominus prefigurauit in se ipso. cum exituro iuda homine malo et commixtione frumenti quem diu fuerat toleraturus separatione apertissima relicturo turbatus est non carne sed spiritu. Spirituales enim eius in huiusmodi scandalis non peruersitate sed caritate turbantur. ne forte in separatione aliquorum zizaniorum simul aliquid eradicetur et tritici. Turbatus est itaque ihesus spiritu et protestatus est et dixit. Amen amen dico uobis quia unus ex uobis tradet me. unus ex uobis tradet me. numero non merito. specie non uirtute. commixtione corporali. non uinculo spirituali. carnis adiunctione. non cordis sociatus unitate. proinde non qui ex uobis est. sed qui ex uobis exiturus est. Nam quomodo erit uerum quod protestatus est dominus et dixit unus ex uobis. si uerum est quod ait idem ipse in epistola sua cuius est hoc euangelium. ex nobis exierunt sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum. Non erat ergo ex illis iudas. Mansisset enim cum illis si esset ex illis. Quid est ergo unus ex uobis tradet me. nisi unus ex uobis exiturus est qui tradet me. Quia et ille qui ait si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum. iam dixerat ex nobis exierunt. ac per hoc utrumque uerum est ex nobis et non ex nobis. secundum aliud non ex nobis. secundum communionem sacramentorum ex nobis. secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis. Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli. hesitantes de quo diceret. Sic quippe in eis erat erga magistrum suum pia caritas. ut tamen eos humana alterum de altero stimularet infirmitas. Nota quippe sibi erat cuiusque conscientia. uerumtamen quia proximi erat ignota. ita sibi singulis quisque erat incertus. ut incerti essent et ceteri singuli. et singuli ceteris. Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu ihesu quem diligebat ihesus. Quid dixerit in sinu paulo post ait dicendo super pectus ihesu. Ipse est iohannes cuius est hoc euangelium. sicut postea manifestatur. Erat enim hec eorum consuetudo qui sacras nobis litteras ministrauerunt. ut cum ab aliquo eorum diuina narraretur hystoria. cum ad se ipsum ueniret tamquam de alio loqueretur. et sic sem